IN DIE FESTO ALICUJUS S. CONFESSORIS

CONCIO PRIMA, IN QUA LECTIO EVANGELICA explanatur.

THE. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum.* Luc. XII. 35.

INter sacra evangelia, quæ in festis sanctorum confessorum ecclesia legi instituit, evangelium hoc, unde quæ audistis verba desumpsi, præcipue commendatur; quod totius pæne christianæ philosophiæ summam paucis comprehendat, ut paullo post indicabimus. Ut igitur hanc cælestem doctrinam pie & utiliter tradere valeamus, divinam opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Principio sciendum est, moralem philosophiam, atque adeo omnes disciplinas, quæ ad finem aliquem destinantur, duabus præcipue partibus constare: nempe, expositione finis, & eorum, quæ ad finem consequendum ordinantur; quæ philosophi media appellare solent. Sic Aristoteles in libris Ethicorum, ubi vitam hominum & mores formare docet; primo libro de ultimo humanæ vitæ fine, hoc est, de summa hominis perfectione, & optimo atque felicissimo ejus statu disserit: deinde de omnis generis virtutibus late disputat, per quas ad eum finem pervenitur. Hoc autem, quod ille multis libris vix absolvit, brevissimo compendio Salvator his paucis verbis, quæ a me commemorata sunt, comprehendit. Finem quippe humanæ vitæ longe certius, quam Aristoteles, constituit, quum, de obsequio Domini erga fideles ac vigilantes servos loquens, ait: *amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere: & transiens ministrabit illis.* Instrumenta autem, sive, ut appellant, media, quibus ad hunc finem pervenitur, tria solum præmisit, ad quæ omnia alia referuntur: nempe, lumbos præcingere, ardentes lucernas in manibus gestare, & vigilanter Domini adventum præstolari. De his igitur instrumentis in præsenti concione dicere institui: ita fiet, ut totam pæne christianæ philosophiæ summam vobis ante oculos ponam. Ait igitur Dominus:

Sint lumbi vestri præcincti. Quid est, lumbos præcingere? Nimirum, ut D. Gregorius hoc in loco ait, *omnem carnis lasciviam & intemperantiam pudicitiæ atque timoris Domini cingulo stringere.* Qua loquendi figura ex præcipua generis parte universum genus Salvator intelligi vult. Non enim impudicitia sola, sed omnia letalia crimina simul profliganda sunt, si adventum Domini secura mente exspectare volumus. Sed quoniam, ut sancti patres ajunt, impudicitiæ crimen maxime acre & importunum est; nusquam enim originalis concupiscentia vehementius, quam in libidinis affectu, desævit: ideo hujus potissimum mentionem facit; qui enim hunc potentissimum hostem, corruptæ naturæ viribus armatum, domuerit, facile de ceteris vitiis victoriam reportabit. Quoniam qui majora vincit, consentaneum est, posse illum quoque minora superare. Si Jacobus apostolus (a) eum, qui linguam frenaret, ceteros quoque rebelles animi sensus & motus coërcere posse confirmat; multo certe magis, qui ita timore Domini septus atque munitus est, ut hunc intimum & familiarem hostem opprimere possit, ceteros quoque animæ hostes prosternere, & sub jugum mittere poterit.

Verum cupiditatis hujus tyrannidem atque potentiam utinam Salomon tam diligenter cavisset, quam sapienter explicavit! sic enim ait: (b) *lustravi universa animo meo, ... & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Quibus verbis apertius periculi hujus magnitudo potuit explicari? Sed hoc

(a) *Jacob.* 3. 2. (b) *Eccles.* 7. 26. 27.

hoc in loco tamen perditis hominibus periculum hoc imminere ait. Alibi vero justissimis etiam viris, qualis tum ipse, tum David pater ejus exstitere, idem periculum denunciat. De eadem enim muliere loquens, (a) *multos*, inquit, *vulneratos dejecit: & fortissimi quique interfecti sunt ab illa.* Possem hoc multis fortissimorum virorum ruinis, quas ætate nostra vidi, facile comprobare: sed pro his omnibus satis erit mihi, D. Augustini testimonium, timoris & admirationis plenissimum, in medium attulisse; sic enim ait: *crede mihi, cedros Libani, & ductores gregis sub hac specie corruisse vidi; de quorum casu non magis dubitabam, quam Ambrosii, aut Hieronymi.* Quid his verbis formidabilius? Quam ob rem fidelis quisque D. Hieronymi, cujus modo mentio facta est, consilium sibi ante oculos ponat; qui, ad Nepotianum scribens: ,, omnes, inquit, ,, puellas & virgines Christi aut ,, æqualiter ignora, aut æqua- ,, liter dilige. Ne sub eodem ,, tecto mansites, nec in præter- ,, ita castitate confidas. Nec ,, sanctior David, nec Salomo- ,, ne potes esse sapientior. Me- ,, mento semper, quod paradysi ,, colonum de possessione sua ,, mulier ejecerit. ,, Hæc ille. D. vero Isidorus, *juxta serpentem*, inquit, *positus, non eris diu illæsus; & prope ignem consistens, ferreus licet sis, combureris.* Scio esse in quibusdam insigne quoddam castitatis donum, singulari Dei privilegio concessum: sit ita sane. Sed neminem tamen, quamdiu in hoc corpore militat, securum judico, nisi qui omnem labendi occasionem fugerit. Itaque magnopere probo cujusdam ex beati Francisci sociis consilium; qui quum mirabile castitatis donum a Deo percepisset, adeo tamen sollicite omnia castitatis pericula vitabat, ac si juvenili ardore cor ejus ureretur. A quo quum confessarius, qui puritatis ejus conscius erat, quæreret, cur tanto studio omnia castitatis pericula vitaret, quum tam præclaro castitatis dono præditus esset? quoniam, inquit, hoc mihi donum a Deo contigit, quia ego maxima cura omnia pudicitiæ pericula vito: quod si non facerem, fortasse non ita mihi Dominus præsenti numine suo adesset.

Hæc ideo a me dicta sunt, fratres, quo aperte cupiditatis hujus vim vobis indicarem, pla-

(a) *Prov.* 7. 26.

planumque facerem, cur hujus potissimum vitii Dominus meminerit, quum in præsenti lectione ait: *sint lumbi vestri præcincti.* Quod videlicet intelligeret, hac hydra superata, facile ad aliarum victoriam viam muniri. Ceterum qui hoc cæleste castitatis donum adeptus est, qui corporis sui vas in honore, non in passione desiderii castum integrumque conservavit; is ab occultissimo & insidioso hujus virtutis hoste, nempe superbia, sibi cavendum curet. Quæ quum omnibus bonis operibus insidietur, ut pereant; tum maxime ex castitatis splendore superbiendi occasionem subministrat. Quo tentandi genere dum ex virtutibus, elationis materiam suggerit, salutis medicamenta in venena convertit. Hinc D. Fulgentius in epistola quadam ait: *spirituales Dei famulos atque famulas a dæmone ita expugnari, ut si eos rebus noxiis mortiferisque non vincat, vitalibus remediis occidat.* Et paullo post: *publico*, ait, *certamine dæmon carnales dejicit; spirituales vero, si quos cautos invenerit, occultiore conflictu prosternit.* Verum quum nihil sit virginitate illustrius, nihil continentia magis admirandum, quippe quæ, ut Athanasius inquit, angelorum magis quam hominum esse videatur, illius splendore potissimum humani generis hostis utitur, ut mortales, humilitate deserta, sui ipsorum efficiat admiratores.

Ceterum non satis est, lumbos carnis præcingere, nisi mentis etiam lumbos, ut Petrus apostolus (a) monet, præcingamus. Quod quidem tunc facimus, quum sollicita & vigilanti cura cor nostrum, in quo sibi divina sapientia domicilium collocavit, ab omni impura cogitatione purum integrumque servamus. Hoc autem præstamus, quando pravam cogitationem, quum primum serpere incipit, tanta celeritate a nobis excutimus, quanta ignem forte in manus incidentem excuteremus. Quam rem designant septuaginta illi fortes, (b) Salomonis lectulum custodientes, qui omnes ita gladiis armati erant, ut uniuscujusque ensis supra femur suum positus esset propter timores nocturnos. Hic autem lectulus, in quo verus Salomon requiescit, justi viri anima est, quæ quavis impura cogitatione polluitur, & sic a ve-

(a) 1. *Petr.* 1. 13. (b) *Cant.* 3. 7.

vero Salomone deſeritur. Viri autem juſti, ne in hoc tantum malum incidant, non contenti gladiis ſpiritus armari, ſupra femur etiam gladios geſtant, ut nulla mora in illis evaginandis, & pravis cogitationibus abſcindendis interveniat. Ille quoque Cherubim, (a) qui aditum & oſtia terrenæ paradiſi ſervat, gladium flammeum atque verſatilem in manu habet ad cuſtodiendam
* viam ligni vitæ. Paradiſus autem delitiarum, anima quoque juſti eſt, in qua divina ſapientia delitiis ſuis fruitur cum filiis hominum. Ad hanc autem paradiſum cuſtodiendam vir juſtus flammeum atque verſatilem gladium in manu geſtat. Verſatilem quidem, ut quam celerrime impuros affectus & cogitationes in animo ſurgentes abſcindat; flammeum vero, ut divini amoris igne eos conſumat. Ut enim Climacus ait: *pudicus eſt, qui amore amorem excludit, ignemque igni ſpiritus exſtinguit.* Aliter autem hæc paradiſus pura & integra conſervari minime poterit. Quemadmodum enim pudica & fidelis uxor non modo adulterum non admittit, ſed ad primum ejus conſpectum terga vertit, adulterii genus exiſtimans, impudicis verbis aures præbere; ita caſta Chriſti ſponſa non modo ab omni impuro opere, ſed ab omni etiam prava cogitatione mentem ſuam diligentiſsime cuſtodit. Qui autem negligenter ſe in hoc officio gerunt, facile hoſtis antiqui ludibrio patent. Cujus rei imaginem expreſsit illa puella, (b) quæ triticum purgabat, & Isboſeth regis dormientis oſtium cuſtodiebat: qua dormiente, duo latrones ingreſſi, regis caput amputarunt. Hæc enim puella, quæ triticum purgabat, diſcretionis ac prudentiæ imaginem gerit: cujus eſt, paleas a tritico, hoc eſt, vanas a ſanctis cogitationibus diſcernere. Hac igitur dormiente, hoc eſt, officium ſuum oſcitanter exſequente, pravæ cogitationes tamquam latrones in mentis noſtræ domicilium irrumpentes, regi, hoc eſt, ſpiritui noſtro, necem inferunt. Quicumque igitur hanc a ſe negligentiam & dormitantiam excludunt, hi plane mentis ſuæ lumbos præcinctos habent. Atque hæc prima piorum hominum cura eſſe debet, qua, corde diligenter cuſtodito, malis omnibus aditum præcludunt.

§. I.

(a) *Geneſ.* 3. 24. (b) 2. *Reg.* 4. 5.

§. I.

Verum quia non ſatis eſt, a malis abſtinere, niſi bonum facias; ſubdit deinde Dominus, ut lucernas ardentes in manibus geſtemus. Lucernæ autem nomine, & fidei lumen, & Dei legem ſignificari, omnis ſcriptura teſtatur. (a) *Mandatum enim*, ait Salomon, *lucerna eſt, & lex, lux.* Et regius vates: (b) *lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Quum ergo Dominus ardentes lucernas in manibus geſtare præcepit, fidem & legem ſuam non ſolum corde & ore, ſed operibus etiam, quæ per manus intelliguntur, nos profiteri atque teſtari vult. Sunt enim qui fidem & legem Dei in ſolo corde gerunt; ſunt qui in ſolo ore, non in manibus, geſtant; qui (c) vocem quidem habent Jacob, manus autem Eſaü: de quibus Salvator ait: (d) *ut quid vocatis me, Domine, & non facitis, quæ dico?* Et iterum: (e) *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt.* Vult ergo Dominus, ut in manibus magis, quam in ore, ejus legem circumferamus. Itaque ſi is (f) pauperes ſpiritu, lugentes, juſtitiam ſitientes, miſericordes, pacificos, & mundos corde, pronuntiat beatos eſſe; danda nobis opera eſt, ut tales ſimus, quo beatitudinis hujus participes efficiamur. Rurſum quum idem ait: (g) *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; demus operam, ut mandata ſervemus, quo ſempiternam vitam percipere mereamur. Quum vero præcipit, (h) ut inimicos diligamus, ut eos beneficiis proſequamur, ut pro perſequentibus & calumniantibus nos preces Domino offeramus; hæc ejus præcepta non in ore ſolum, ſed in manibus geſtanda curemus; opere exhibentes, quod verbis profitemur. Sic igitur ardentes lucernas in manibus habemus: atque ita homines (i) *videntes opera noſtra bona glorificant Patrem noſtrum, qui in cælis eſt.* Nuſquam enim magis cæleſtis Patris gloria elucet, quam in his, qui juſtitiæ & ſanctitatis cultu, bonitatis ejus imaginem referunt.

Sequitur deinde tertio loco,

 quod

(a) *Prov.* 6. 23. (b) *Pſalm.* 118. 105. (c) *Geneſ.* 27. 22. (d) *Luc.* 6. 46. (e) *Matth.* 7. 21. (f) *Matth.* 5. 3. *ſeqq.* (g) *Matth.* 19. 17. (h) *Matth.* 5. 44. (i) *Ibid. v.* 16.

quod Dominus ait: *& vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut quum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei.* Venit autem Dominus, ut Gregorius ait, *quum ad judicium properat: pulsat vero, quum per ægritudinis molestiam esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si eum cum amore suscipimus.* Aperire autem judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat; & videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Hæc autem Domini admonitio huc præcipue tendit, ut tota fidelis hominis vita, quæ per tres vigilias designatur, velut exspectatio & præparatio quædam sit, qua singulis momentis venientem judicem exspectemus, ut confestim aditum ei liberum præbeamus. Ad hoc autem scire oportet, hominem a Deo in hunc finem conditum esse, ut ad æternæ felicitatis gloriam hoc brevis ævi curriculo præpararetur. Hic enim est finis, ad quem is a summo illo opifice conditus est. Quod quum ita sit, efficitur sane, ut is nihil prius curare, nihil moliri, nihil in vita diligentius agere debeat, quam ut ad hanc horam sollicite se præparet: atque ita demum vita ejus, ut sapientes viri docuerunt, continua mortis meditatio, & ad illam præparatio sit. Ut enim fideles servi, qui ad curias principum alicujus gravis negotii causa mittuntur, id præcipue agunt, id curant, id noctes diesque cogitant, qua videlicet ratione fideliter id expediant, cujus gratia missi sunt: ita quum fidelis Dei servus intelligat, se ad hoc in mundum a Deo missum, ut in bonis operibus ad finem usque strenue persistens, cælestem hereditatem promereatur, dat operam sedulo, ut in hoc pietatis officio mors illum deprehendat. Scit enim, extremum hunc diem de tota vita, atque adeo de tota æternitate sententiam ferre: ex eo quippe momento tota æternitas pendet. Hinc sapientissimus quidam vir pios admonere solitus erat, ut unusquisque eorum in edito domus suæ loco hanc sententiam scriberet: MOMENTUM, UNDE PENDET ÆTERNITAS.

Hanc eamdem curam Dominus sub alia non dissimili metaphora commendavit: quum nos in hoc mundo non tamquam cives & indigenas, sed tamquam advenas & peregrinos versari voluit; ut omnes propheticum illud dicere possemus: (a) *advena ego sum in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Peregrini enim & viatoris est, alio tendere, nec stabilem in via sedem habere; sed alibi domicilium, alibi genitale solum & patriam habere, & ad eam properare. Id quod in lege olim Dominus miro modo adumbravit, quum inter tam varias cærimonias, quibus paschalem agnum manducare præcepit, hanc etiam adjecit, (b) ut homines illum stantes, & lumbis accinctis, & manibus baculos tenentes, festinanter comederent. Quid enim horum non ad viatores pertinet? Nam stare, ac festinanter manducare, & accinctis lumbis esse, baculosque manibus tenere, viatorum propria sunt: qui, quum alio tendant, ibique mente defixi sint, quo properant; vix sibi sedere, & lente comedere permittunt, ut quam ocissime ad optatum locum perveniant. Quid autem hoc sollemni ritu Dominus designare voluit, nisi ut quicumque veri agni, immaculati & incontaminati, hoc est, Christi, participes, & regni ejus heredes esse volumus, quamdiu in hoc corpore degimus, viatoris & peregrini mentem atque animum assumamus? Viator enim toto animo in terminum viæ intentus est, & ad illum indefesso studio & labore contendit. Quod vero ad hospitium declinat, non id agit, ut in eo tamquam in domo, sed tamquam in hospitio vires cibo somnoque reficiat, quo celerius ad patrium solum pervenire queat.

Sic igitur qui intelligit, se in hoc mundo hospitem & peregrinum esse, & ad cælestem patriam bonorum operum gressibus tendere; in qua se & parentes, & amicos, & opes, & bonorum omnium copiam habiturum sperat; & in qua, brevi hujus vitæ curriculo consummato, se perpetuo mansurum credit: eo curas & cogitationes suas, omniaque vitæ studia dirigit, illam cogitat, in sola ejus cogitatione acquiescit, de illa dies noctesque disserit, cum propheta clamans: (c) *si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Denique si aliquando ad rem

(a) *Psalm.* 38. 13. (b) *Exod.* 12. 11. (c) *Psalm.* 136. 5. 6.

rem familiarem curandam digreditur, non id agit, ut opes immensas congerat, ut altas in hoc sæculo radices jaciat; sed ut itineris necessitati, non infinitæ cupiditati, provideat. At quantum ab hoc proposito & affectu distant, qui omnes curas & cogitationes suas sic in terra defixas habent, ac si ad hanc vitam solum fruendam, non ad aliam, conditi essent! Sic enim terrenis bonis inhiant, sic se totos congerendis opibus in extrema etiam senectute addicunt, quasi perpetuo in ea mansuri essent. Quod certe non leve indicium est, nequaquam illos ad eam sortem pertinere, quæ numquam illis venit in mentem, nec quidquam ejus amore inducti faciunt.

§. II.

Hæc tria sunt, fratres, quæ a nobis Dominus exigit. Nunc secundo loco videamus, quid hæc ipsa præstantibus vicissim promittat. Hoc autem explicat, quum protinus subdit: *beati servi illi, quos quum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* His pauculis verbis eximiam sanctarum animarum gloriam Dominus ostendit. Quæ enim excogitari major gloria potuit, quam ut rerum omnium conditor & Dominus se in earum obsequium præcingere & ministrare dicatur? Numquam enim Aman ille ad tam excelsum honoris gradum aspirare ausus fuit, ut (a) ab Assuero rege hunc sibi honorem exhiberi postularet. Hoc autem orationis genere, fratres, nihil humile aut terrenum cogitare debemus. Nec enim in cælo corporeæ mensæ, aut mensarum recubitus, & earum ministeria sunt. Quid igitur hoc loquendi genere indicare Dominus voluit? Certe summum quemdam honoris & dignitatis gradum, multoque majorem, quam humana mens concipere possit. Sicut enim * summus honor esset, si rex aliquis maximus servo suo ad mensam accumbenti serviret: ita hac loquendi figura summum quemdam & ineffabilem honorem, quo vigilantes servos Dominus in regno suo ornaturus est, voluit designare; de quo quidem honore alibi dixerat: (b) *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* D. vero Gregorius hoc

(a) *Esther* 6. 7. *seqq.* (b) *Joan.* 12. 26.

hoc in loco, transitus hujus nomine, duplicem illam beatorum gloriam, de qua ipse alibi dixerat: (a) *ingredientur & egredientur, & pascua invenient,* significari ait. Ingredientur enim electi omnes in vastam illam atque immensam divinitatis abyssum; ac deinde ad pulcherrimam sacræ humanitatis speciem contemplandam egrediuntur, & utrobique ineffabilis suavitatis pascua, quibus plenissime satiantur, inveniunt. In immensa quippe illa divinitatis abysso non uno aliquo bono, sed bonis omnibus fruuntur & satiantur; quemadmodum propheta testatur, quum ait: (b) *satiabor, quum apparuerit gloria tua.* Et alibi: (c) *adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem:* sive, ut alii verterunt, *satietas lætitiarum est cum vultu tuo.* Quo verbo non unam aliquam lætitiæ rationem, sed omnia lætitiarum, delectationum & gaudiorum genera, complexus est; quibus fruitur, quisquis Dei faciem contuetur.

Cujus rei typum gerebat manna, quod (d) saporum omnium suavitatem continebat. Sed in hoc tamen discrimen erat, quod non simul omnes rerum sapores vescenti referebat, sed modo hunc, modo illum, pro voto videlicet edentis: at cibus hic cælestis omnes sapores atque suavitates simul exhibet beatis. Qua ex re perfectissima animæ tranquillitas, & desideriorum quies manat. Quo quidem argumento lætitiæ hujus magnitudo colligi aliqua ratione potest. Tanto enim unaquæque voluptas major est, quanto plures ea sensus oblectat. Ut enim si quis * ignes ignibus, & lumina luminibus addat, ignem & lucem efficit pleniorem: ita si quis gaudia gaudiis, delitias delitiis cumulet, lætitiam & jucunditatem efficiet vehementiorem. Unde qui sollemne ali * quod epulum instituit, omnia, quæ voluptate aliqua sensus titillare possunt, diligenter quæsita in convivio exhibet; nempe cibos lautissimos, qui palatum alliciant; frondentium arborum amœnitates, quæ oculos pascant; aromata & unguenta pretiosa, quæ odore suo nares reficiant; cantus & tibicines, qui aures mulceant; dicaces homines & parasitos, qui

(a) *Joan.* 10. 9. (b) *Psalm.* 16. 15. (c) *Psalm.* 15. 10. (d) *Sap.* 16. 20.

qui risum moveant; eloquentes & eruditos homines, qui dictis & sententiis intellectum instruant; & amicos etiam, qui conspectu & convictu suo animum recreent & oblectent. Quibus rebus fit, ut nullus pæne sensus, nullaque vis animæ sit, quæ sua voluptate non fruatur. Hac igitur ratione cælestis gloriæ magnitudinem utcumque conjectare licebit. In qua nullus in corpore sensus, nullaque in anima nostra vis erit, quæ non suam, & quidem summam, non ad horam, ut illa convivantium, sed in omni æternitate, percipiat voluptatem. Est enim illud universale bonum, quod universas animæ nostræ vires & sensus plene satiat, implet, & miro modo reficit. Unde ipse Dominus Mosi ait: (a) *ego ostendam tibi omne bonum.*

Hac igitur gloria beatorum animæ fruuntur, quum illud immensum & impermeabile divinitatis pelagus ingrediuntur. Alia vero fruuntur, quum ad pulcherrimam sacræ humanitatis Christi speciem contemplandam prodeunt. Quam ex parte discipuli in transfiguratione Domini videntes, tanta lætitia completi fuere, ut Petrus apostolus (b) tria tabernacula, nesciens quid diceret, ibidem fabricari postulaverit. Quemadmodum enim nimius vini potus sic in homine dominatur, ut omnem illi mentem eripiat: sic ejus lætitiæ magnitudo Petri mentem inebriaverat, ut vix ullus in eo sensus, qui officio suo fungeretur, remaneret; lætitiæ magnitudine totam animæ ejus regionem pervadente. Si igitur illa gloriæ, ut ita dicam, guttula sic discipulorum animos, adhuc in carne degentes, affecit; quid faciet abundantissimus ille supernæ voluptatis torrens, quo fidelis anima ab ubertate domus Dei inebriabitur? Hoc utcumque dici potest, sed mente tamen comprehendi non potest. In hac autem sacra humanitate quum multa sint, quæ sanctorum mentes ineffabili jucunditate permulceant; tum illud eos mirabiliter afficit, quod illius meritis sciunt se ad eam gloriæ magnitudinem pervenisse. Tunc enim plene dominicæ redemptionis beneficium agnoscunt, quum, quid per illud consequuti sunt, experiuntur. O quas tum laudes, quas gratiarum actiones pro tanto beneficio agent! quæ amoris oscu-

(a) *Exod.* 33. 19. (b) *Matth.* 17. 4.

oscula sacris illis stigmatibus, per quæ tantam salutem adepti sunt, ore cordis affigent! quo affectu voces illas, grati animi indices, ex Apocalypsi Joannis intonabunt: (a) *dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quam ob rem? Paullo ante rationem reddiderant, dicentes: (b) *quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram.* Hoc igitur modo sanctorum animæ ingrediuntur & egrediuntur, & uberrima divinitatis, & sacræ humanitatis in excelsis montibus Israël pascua inveniunt; quibus tanta plenitudine satiantur, ut nihil amplius quærant, nihil sitiant. Quamvis autem dispar sit gloria singulorum, sua tamen quisque plene & perfecte beatus est: quemadmodum minora vasa, quum liquore aliquo plena sunt, non minus, quam majora, plena sunt.

§. III.

Hoc est igitur præmium, fratres, quod vigilantibus servis Dominus promittit: hic ultimus humanæ vitæ finis, & perfectissimus status, ad quem vota omnia atque desideria nostra adspirant; quo quum venerint, plenissime conquiescent. Ideoque non mirum, si beati ab ipsa veritate prædicantur, qui ad hanc tantam felicitatem perventuri sunt. *Beati*, inquit, *servi illi, quos quum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Divus Gregorius humanam vitam tribus noctis vigiliis comparat. Pueritiam enim, primam esse vigiliam ait; juventutem, secundam; senectutem, tertiam. Eos vero Dominus pronuntiat beatos, qui sic in his omnibus vigiliis parati sunt, ut in quacumque earum Dominus venerit, vigilantes inveniat. „ Vigilat autem, ut idem Gregorius ait, qui ad adspectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui servat operando quod credit. Vigilat, qui a se torporis & negligentiæ tenebras excutit. Ac postremo vigilat, qui in continua dominici adventus exspectatio-

(a) *Apocalyp.* 5. 12. (b) *Ibid. v.* 9. 10.